

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0934

0932

0938

0928

0943

0923

0983

0883


1033

0833

0433

Ende

Anfang



361

non erat domus, sed curia muro circumdata, et ostio claudi poterat, nec tectum, sub quo dormiremus, habebat, sed in latere duas immundissimas cellulas, stercoribus humanis foedatas habebat, ipsum autem curiae pavementum limo, parato pro lateribus coquendis, opertum erat. Accensis ergo luminibus camelos in vico prostravimus eosque et asinos exoneravimus, et bestias omnes suis dominis resignavimus, omnia autem nostra traximus in curiam et de ea ejecimus omnes camelarios et asinarios nostros, retento tantum Elphahallo minore Calino, et ostium cum lapidibus et repagulis obstruximus contra impetum Sarracenorum, quo facto ignem accendimus et offam coximus, ut tamen aliquid coctum et calidum in ventribus haberemus, non enim quidquam calidum hoc toto die gustaveramus. Comestione breviter peracta ad quietem nos locavimus in longum quoddam praesepe, quod (13 a) caemento et lapidibus ad longitudinem curiae ad parietem erat factum; alii autem, qui in praesepio locum habere non poterant, aliàs per curiam se locabant, et ita sub dio dormivimus nocte illa in rore coeli.

De licentia obtenta a praefecto manendi in Gaza.

Tricesima die, cum sol adscendisset, surreximus, et antequam ostium curiae patefecimus, res nostras omnes comportavimus in unam camerulam miserrimam et divisimus curiam in tres partes, secundum quod habebamus tres societates, ut patet P. 1. Fol. 221. B., ita, quod quaelibet societas seorsum locum haberet. Fecimus autem umbracula cum vestimentis nostris contra solis fervorem et contra noctis frigus et rorem, quousque Trutschelmannus disposuit nobis papiliones, quibus per desertum uteremur, et illas in curia fiximus et ereximus et sub eis habitavimus. Emimus insuper in civitate alia nobis necessaria pro diebus, quibus mansuri eramus; scivimus enim, nos ibi mansuros non paucis diebus. Facto prandio transivimus cum Trutschelmanno ad civitatis praefectum et petivimus licentiam manendi per aliquot dies in Gaza et ut possemus circuire et emere necessaria pro peregrinatione deserti et visitare loca et videre urbem et intrare aestuaria. Quae omnia